



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **PARANAQUENSIS**\* IN PHILIPPINIS NOVA  
CONDITUR DIOECESIS PARANAQUENSIS Ad efficacius providendum spirituali bono Christifidelium, Venerabilis Frater  
Noster Iacobus L. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Sin, Archiepiscopus Metropolita Manilensis, audita  
Conferentia Catholicorum Episcoporum Philippinarum, ab hac Apostolica Sede petivit ut quodam distracto territorio a sua  
ecclesiastica circumscriptione nova conderetur dioecesis. Nos, praehabito faventi voto Venerabilis Fratris Antonii Franco,  
Archiepiscopi titulo Galliesini et in memorata Natione Nuntii Apostolici, de consilio Congregationis pro Episcopis ad motae  
postulationi libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate sequentia decernimus. A Manilensi  
archidioecesi separamus integrum territorium, prout in praesens civili lege circumscribitur, civitatum quae patrio sermone  
nuncupantur *Parañaque, Las Piñas* et *Muntinlupa*, atque ex ita distracto territorio novam constituimus dioecesim  
*Paranaquensem* appellandam. Sic conditae Ecclesiae sedem episcopalem in urbe «Parañaque City» ponimus, ibique  
exstans paroeciale templum, Deo in honorem Sancti Andreae dicatum, ad gradum et dignitatem Cathedralis ecclesiae  
evehimus cuique propria insignia, privilegia et honores tribuimus. Praeterea dioecesim Paranaquensem suffraganeam  
facimus metropolitanae Sedi Manilensi eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi ipsius metropolitanae Sedis  
subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae statuimus perficienda committimus Venerabili  
Fratri Antonio Franco, quem diximus, vel, absente eo, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Philippinis, eisdem  
tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in  
ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae  
exsecutionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse  
volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo mensis  
Decembris, anno Domini bis millesimo secundo, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Laurentius Civili, *Protonot.*

*Apost.*

IOANNES B. card. RE

*Congr. pro Episcopis Praef.*

---

\*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 4, pp. 231-232 © Copyright 2002 - Libreria Editrice Vaticana

---

